Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 513
Quelle:
Copyright:

quuntur ſimiles *in Epiſtolam Petri primam*, 11. *Aug. finitis Canicularibus*, item *Scholia in Eccleſiaſten*, 3. *Novembr.* Demum *Dictata in Oſeam prophetam*, *anno* 1535. 11. *Jan.* Omnia bonae frugis plena et Veterum Gloſſis potiora. *Hungarus Sempronienſis* erat *Salzerus* noſter, ingenio et induſtria e paupertate et aliorum Juvenum famulitio eluctatus ad D. *Stephani* Canonicatum et omnes honores Academicos, atque tam vividae aetatis, ut poſt ipſum octuageſimum annum quater Rectoris fungeretur Officio, annumque demum ſecundum et nonageſimum, qui erat 1568. ſupremum haberet. Laudes ejus in *Ederi Catal.* ad an. 1523. in *Scriptt. Univ.* P. III. Sec. III. p. 51. Epitaphium, quod in Metropolitana habet, in *Locheri Speculo Acad.* p. 405. leguntur. Ego ipſe Viri memoriam, uti tot aliorum Ejus Collegarum, quantum potui, cum in *Memorab. Bibl. Garell.* tum in *Hiſt. Typogr. Vienn.* ab oblivione vindicare ſtudui, parum ſolicitus, quam ab ejus Poſteris, in quorum gremium nunquam cooptatus fui, gratiam ineam.

CCLXXXIV.

R. 566 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 53. 8. nitidiſſime exaratus, ut *Itali* Amanuenſes, praecipue *Florentini* callebant, et literis initiorum deauratis et picturatis, quarum cauſſa puerilis fortaſſe levitas folium primum avulſit, olim fuit *Joh. Fabri* Ep. *Vien.* et ſaltem in calce purpura inſcriptus eſt: *Liber Sancti hylarij de Synodis contra omnes hereſes.* Potius *De Fide Orientalium.* Incipit ἀκέφαλος ab iis verbis: *proxime uobis ex ſupermenſio* (Syrmienſi) *oppido infidelis fidei impietatem non modo* (non) *ſuſcepiſſe*, *ſed nunciatam eſſe* (l. etiam) *ſignificatamque dampnaſſe. Neceſſarium mihi ac religioſum intellexi ut nunc quaſi epiſcopus epiſcopis uictum* (l. mecum) *in chriſto communicantibus* &c. Vides ἀπογραφον eſſe mendoſi Codicis, aut Amanuenſem digitis magis valuiſſe, quam intelligentia. Ne Titulus quidem ullus errore vacat. Ita ad *Fidem Syrmienſem* legas *poſium* pro *per Oſium*, ad *Antiochenam* ſimiliter *in femias* pro *per Encaenias*, ad *Syrmienſem* denique alteram *contra fontinum* pro *Photinum.* Extrema ſunt: *Omouſion grecum eſt. interpretatio omouſion unius ſubſtantię et omoeouſion. ſimilis ſubſtantię. ſed per omouſion oportet intelligi.* Aſt haec, ut recte obſervant Editores *Mauriani Opp. Hilarii Pictav. Pariſ.* 1693. *col.* 1206. f. non niſi adnotatio poſterioris cujusdam Cenſoris eſſe videntur per recentiora Mſſ. didita, vetuſtioribus ignota.

CCLXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 181. f. pereleganter exaratus et coloribus illuſtratus, litera quadra inſcribitur: *Incipit Exameron Tractatus Sancti Ambroſij Archi Epiſcopi De Die Primo Conditionis Mundi.* Ita pro numero R. 3262